Q. D. B. V.

De

COMMODATO

Exercitationem Juridicam,

Sub Præsidio

DN. CASPARIS ZIEGLERI,

J. U. D. Conſiliarii Electoralis Saxonici & Facultatis Juridicæ Ordinarii, &c.

Patroni ſui ac Promotoris ætatem devenerandi,

Publicæ disquiſitioni ſubjicit

JOHAN. HEINRICUS REINHARD,

Lipſienſ. Miſn.

In Auditorio JCtorum,

Horis conſuetis,

Ad diem 27. Septembris.

VVITTENBERGÆ,

Typis Christiani Schrödteri.

Anno cIↃ IↃc LXXIX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA V. EMANUELE

18

15.

VI.

Quæ definitio ſubſtantialia hujus Contractus continet omnia.

VII.

Vocantur autem ſubſtantialia, quæ eſſentiam cujusque Contractus ingrediuntur, & conſtituunt. *l. 72. de contr. empt.*

VIII.

Quæque arbitrio contrahentium non ſuccumbunt. *l. 38. ff. de pact. l. 27. de R. I.*

IX.

Sed à lege concepta & ordinata ſunt.

X.

Primum ſubſtantiale commodati eſt ipſum genus, quod eſt CONTRACTUS. *l. 5. §. 2. h. t.*

XI.

Contractus autem ſine conſenſu eſſe nequit. *l. 5. §. 3. de pact.*

XII.

Et nequit igitur commodatum,

XIII.

Unde nec conſiſtit in perſonâ eorum, qui vel conſentire non poſſunt, vel in jure pro conſentientibus non habentur.

XIV.

Ut ſunt infans, quia nullum habet intellectum. *§. 10. I. de inut. ſtip.*

XV.

Pupillus ſine autoritate tutoris. *l. 1. §. 2. h. t.* niſi locupletior factus fuerit. *l. 3. eod.*

Furi-

XVI.

Furioſus. *l. 2. h. t. l. 40. de R. I.*

XVII.

Prodigus. *arg. l. 6. de V. O. l. 40. de R. I.*

XVIII.

Sed & ſervi conſenſus jure civili non attenditur. *l. 22. de R. I. l. 43. de O. & A.* Prætor autem attendit, & actionem de peculio adverſus dominum concedit. *l. 3. §. 4. h. t.*

XIX.

Secundum ſubſtantiale commodati exprimitur verbis, quo RES TRADITUR.

XX.

Nec enim conſenſu abſolvitur hic contractus.

XXI.

Sed obligationem tum demum producit, quando res tradita eſt.

XXII.

Unde re obligari dicitur commodatarius. *§. 2. Inſt. Q. M. R. C. O. l. 1. § 3. de O. & A.*

XXIII.

Et Contractus ipſe hinc dicitur realis.

XXIV.

Res illa propria, an aliena ſit, nihil intereſt. *l. 15. h. t.*

XXV.

Habet enim etiam fur & prædo ſi commodaverit, commodati actionem. *l. 16. h. t.*

XXVI.

Cave autem per traditionem intelligas eam, quam interpretatur Imperator. §. *40. I. de R. D.*

XXVII.

Illa enim eſt modus acquirendi & transferendi dominii. *l. 20. C. de pact. l. 15. l. 27. C. de R. V.*

XXVIII.

Hæc autem nec dominium transfert. *l. 8. l. 9. h. t.*

XXIX.

Nec poſſeſſionem. *ibid.*

XXX.

Sed ſolum uſum.

XXXI.

Id quod tertium eſt ſubſtantiale verbis, CERTI USUS GRATIA contentum.

XXXII.

Exprimitur eô ipſa commodati forma, & differentia ſpecifica.

XXXIII.

Ex fine enim commerciorum ſpecies conſtituuntur.

XXXIV.

Et per hunc diſtingvitur à reliquis contractibus realibus.

XXXV.

In mutuô enim res traditur non ad utendum, ſed ad abutendum, translatô ſcilicet dominiô. *pr. Inſt. Q. M. R. C. O. l. 2. ff. de R. C.*

In

XXXVI.

In depoſitò res traditur ad cuſtodiendum, §. 3. I. eòd. l. 1. pr. ff. depoſit:

XXXVII.

In pignore propter contractus fidem, & reſtituendæ rei vinculum. *l. 9. §. f. de ſupell. leg.*

XXXVIII.

At in commodatò res traditur ad utendum.

XXXIX

Et quidem traditur ad uſum certum.

XL.

Sicut enim voluntatis & officii magis, quam neceſſitatis eſt commodare: ita modum commodati finemq; præſcribere, ejus eſt, qui beneficium tribuit. *l. 17. §. 3. h. t.*

XLI.

Aliud eſt in precariò, quò quidem & ipsò res utenda datur & gratis, ſed ſimpliciter, non ad uſum certum.

XLII.

Et idcircò precarium utendum conceditur tamdiu, quamdiu is, qui conceſſit, patitur. *l. 1. pr. & l. 2. §. 2. de precar:*

XLIII.

Quin ſi ad certum tempus conceſſum eſt aliquid precariò, revocare id licet etiam ante iſtud tempus. *l. 12. de precar:*

XLIV.

Sed in commodato hoc non licet, quippe quod

uſu

uſu ſemel præſcriptô in mutuas convertitur præſtationes.*l.17.§.3. h.t.*

XLV.

Tempus autem vel expreſsè adjicitur à commodante, vel tacitè.

XLVI.

Hoc fieri intelligitur tùm, quando uſui temporis aliquod ſpatium ineſt. e.g. Commodatio libri ad deſcribendum.

XLVII.

Et hôc caſu ad arbitrium judicis recurri ſolet, *arg. l.137.§.2.ff. de V.O.*

XLVIII.

Circa uſum verò rei commodatæ apprimè notetur id, quod debeat eſſe gratuitus. §. *2.Inſt.Q.M. R. C. O.*

XLIX.

Si gratuitus non fuerit, neq; commodatum id erit, ſed alius aliquis contractus. *l.5.§.12. h.t.*

L.

Si enim merces intervenerit, eaq; certa, erit locatio conductio.*pr.I. de locat.cond.*

LI.

Si incerta, & quæ poſtea conſtitui debeat, erit contractus innominatus. §. *1. eod.*

LII.

Si alia aliqua res, itidem contractus erit innominatus. §. *2. eod. l.17.§3. de præſcr.Verb.*

LIII.

Honorariô tamen vel promiſsô vel ſolutô naturam

ram hujus contractus non immutari, Doctores colligunt ex *l. 2. §. 24. ff. de vi bon. rapt. l. 6. pr. ff. mandat*

LIV.

Hactenus de Subſtantialibus Commodati, pergimus ad naturalia.

LV.

Ea ſunt vel interna & inſeparabilia, quæ immediatè ex conſtitutione ſubjecti fluunt, & ipſi perpetuò atq; immutabiliter cohærent.

LVI.

Vel externa & ſeparabilia, quæ ex conſuetudine adſunt, ita tamen, ut arbitrio contrahentium permittantur.

LVII.

Ad naturalia interna pertinet I. Dominii & poſſeſſionis ex parte commodantis retentio. *l. 8. l. 9. h. t.*

LVIII.

Fluit hoc ex ſubſtantiali illô, quod uſus tantum tranſeat ad commodatarium.

LIX.

Atqui uſus intelligitur ſeorſim extra dominium.

LX.

Quarumcunque ergò rerum poteſt eſſe uſus citra conſumtionem, illæ poſſunt commodari cæteris paribus.

LXI.

Commodantur enim ſpecies & corpora. *l. 2. pr. de R. C.*

LXII.

Quandoque etiam res incorporales. §. 1. *Inſt. de uſu & hab. l. 1. §. 1. ff. h. t. conf. l. 3. l. 8. §. 5. l. 15. §. 2. ff. de precar.*

LXIII.

Si quæ autem res uſu conſumitur, commodari ea nequit, *l. 3. §. f. h. t.*

LXIV.

Conſumi autem non poteſt, niſi translatô dominiô.

LXV.

Commodati tamen ſpeciem habet, ſi ea ad pompam vel oſtentationem accipiatur, aut etiam dicis gratiâ tradatur. *l. 3. & 4. h. t.*

LXVI.

Ad ea verò, quæ uſu conſumuntur, non refero illa, quæ longiori uſu atteruntur, & detritu deteriora fiunt, ut ſunt veſtimenta.

LXVII.

In his enim commodatum conſiſtit, *l. 5. §. 8. h. t. add. l. 10. l. ult. h. t.*

LXVIII.

Ad naturalia interna refertur 2. quod uſus determinatus utrumque contrahentem obliget. *l. 17. §. 3. h. t.*

LXIX.

Et commodans quidem rem commodatam intempeſtivè, & nondum finitô tempore, aut uſu repetere nequit: *d. l. 17. §. 3.*

Etiamſi

LXX.

Etiamſi diem ſuum obierit intereà commodatarius.

LXXI.

Commodatarius autem poteſt quidem etiam anticipandò rem reſtituere, & re etiam prorſus non uti.

LXXII.

Sed non poteſt aliter uti, quàm convenit.

LXXIII.

Quin imò & qui aliàs re commodatâ utitur, non ſolum commodati, verùm furti quoque tenetur, *l. 5. §. 8. h. t. l. 54. §. 1. ff. de furt.*

LXXIV.

Si tamen ſe intelligat id invitô dominô facere. *§. 7. I. de obl. quæ ex del. naſc.*

LXXV.

Et lucrandi animum habuerit. *§. 1. Inſt. de obl. quæ ex del. naſc.*

LXXVI.

Quod ſi verò talem non habeat, & vel ex neceſſitate per longius tempus re commodatâ utatur, vel id non invitô dominô fieri perværſum habeat, extra crimen erit. *§. 7. Inſt. eòd.*

LXXVII.

Tertium naturale internum eſt, quod reſtitutio rei fieri debeat in ſpecie. *l. 2. de R. C. l. 1. §. 3. de O. & A.*

LXXVIII.

Et reſtituenda quidem eſt in eâdem bonitate.

LXXIX.

Non enim videtur reddita, quæ deterior facta redditur: *l. 3. §. 1. h. t.*

XXC.

Niſi ipſe commodans in talem uſum conceſſit, ex quô res probabiliter fieri potuit deterior: *l. 10. l. ult. h. t.*

XXCI.

Quòd ſi æſtimatò res commodata fuerit, ea ſi extat, nihilominus reſtituenda eſt.

XXCII.

Niſi ad hoc facta fuerit æſtimatio, ut emptio inducatur.

XXCIII.

Sed tùm degenerat contractus.

XXCIV.

Aliàs enim æſtimatio contractui ſubjecta non plus operatur, quam natura contractus pati poteſt.

XXCV.

Et ideò tantùm facta creditur æſtimatio, ut ſi culpâ commodatarii res pereat, clarè & ſine lite cognoſcatur, quid præſtare debeat commodatarius. *Coſtal. ad l. 10. ff. de Jur. dot. Thoming. deciſ. 31. n. 24. ſeq. Franzk. h. t. n. 44. Bachov. in Tr. h. t. pag. 919.*

XXCVI.

Ad naturalia porrò externa ſive ſeparabilia referò, quod commodatum plerunque fiat in utilitatem Commodatarii: *l. 5. §. 2. h. t.*

Idque

XXCVII.

Idque in dubiò ita factum præſumitur. *Maſcard. de probat. concl. 327. n. 1.*

XXCVIII.

Rarò enim res commodatur in utilitatem ſolius commodantis. *d. l. 5.* §. *10.*

XXCIX.

Quandoque tamen reſpicit commodum utriusq; *l. 18. pr. h. t.*

XC.

Et ex hôc fluit naturale externum ſecundum, quod conſiſtit in præſtatione culpæ. *l. 5.* §. *2. h. t.*

XCI.

Uti enim commodatum plerunque concernit commodum commodatarii; ſic plerumque etiam præſtatur ab eò culpa leviſſima. *d. l. 5.* §. *2. l. 18. h. t. l. 1.* §. *4. de O. & A.*

XCII.

Ita ut hôc caſu commodatarius res commodatas ortò, e. g. incendiò propriis ſuis præferre teneatur. *l. 5.* §. *4. h. t. l. 3. de peric. & comm. rei vend.*

XCIII.

Quod tamen limitant Doctores, ſi res commodata vilior, propria pretioſior ſit. *Lauterb. h. t.* §. *2. n. 5.*

XCIV.

Si verò ſolius commodantis gratiâ res commodatur, ſolus à commodatariò præſtatur dolus. *d. l. 5.* §. *10. l. 10.* §. *1. l. 12. h. t.*

XCV.

Ubi denique utriusque utilitas vertitur, culpa præſtatur levis. *l.18.pr.h.t.*

XCVI.

Sed hæc ita, niſi ſi quid nominatim convenit, vel plùs, vel minùs. *l.23. de R. I.*

XCVII.

Sunt enim pacta ejuſmodi contractuum accidentalia.

XCVIII.

Quibus ſubſtantialia quidem & naturalia interna mutari nequeunt, poſſunt tamen naturalia externa.

XCIX.

Accidentalia hæc pro arbitriò contrahentium adjici poſſunt.

C.

Et tùm legem dant contractui. *d.l.23. de R. I. l. 1.§.6. depoſ.*

CI.

Sed hæc pactio ne dolus præſtetur rata nunquam eſt. *l.17.h.t.l.1.§.7.depoſ.*

CII.

Caſus verò fortuitus regulariter nec aliàs, nec in commodatò præſtatur. *l.18.h.t.l.2.§.7. de adminiſtr. rer. ad civ.pert.*

CIII.

Præſtatur tamen, quando cauſam damno præbuit Commodatarius vel culpâ ſuâ vel morâ. *l.5. de R.C.l.1. §.4. de O.& A.l.5.§.4.h.t.*

Pertinet

CIV.

Pertinet huc, quandò aliter utitur commodatarius re commodatâ, quàm convenit. *l.5.* §.7. *h.t.*

CV.

Præſtatur etiam, quando omne periculum in ſe ſuſcepit commodatarius. *l.1. C. h.t.*

CVI.

Item, quando res commodata fuit æſtimatò. *l. 5.* §.3. *h.t.*

CVII.

Sed hoc tum demum, quando æſtimationem ſe præſtiturum recepit accipiens. *d. l 5.* §.3.

CVIII.

Atque hôc caſu commodati fines exceduntur, uti ſuprà jam dixi.

CIX.

Eſt enim talis æſtimatio ſimilis emptioni.

CX.

Et non eſſet, ſi non expreſsè ita conveniſſet.

CXI.

Quæ enim citra conventionem de æſtimatione præſtanda fit æſtimatio, ideò facta in commodatô creditur, ut in eventum rei culpâ deperditæ expeditior eſſet actio & executio.

CXII.

Et ſic igitur non fruſtra ea fit, nec in vanum.

Quod

CXIII.

Quod verentes Salicetus, Mozzius, Dn. Franzkius, & alii, culpæ aliàs præſtandæ propter æſtimationem adjectam gradum addunt ulteriorem.

CXIV.

A quibus tamen noſtrô judiciô rectius diſcedunt Coſtalius, Caroccius, Perez, & cum iis plures.

CXV.

Ex hôc contractu naſcitur actio directa, & contraria. *l.1.l.17.§.1.l.18.§.f.b.t.*

CVI.

Illa datur commodanti, adverſus commodatarium, & naſcitur ſtatim & rectà ex ipsô contractu.

CXVII.

Hæc datur commodatario adverſus commodantem, & naſcitur quaſi ex poſtfactô, ut ſcilicet indemnis præſtetur.

CXVIII.

Directa perſequitur ipſam rem,

CXIX.

Quæ aut extat, aut periit.

CXX.

Si extat, aut integra ea invenitur, aut alterata, & corrupta, ſeu deteriorata.

CXXI.

Si integra eſt, reſtituenda eſt præcisè.

CXXII.

Nec objici poteſt compenſatio. *l. fin. C. b.t.*

Retineri

CXXIII.

Retineri tamen poteſt res commodata propter impenſas jure quôdam pignoris. *l. 15. l. 59. ff. de furt.*

CXXIV.

Etiam ita, ut adverſus dominum, ſi eam ſubripiat, detur actio furti. *d. l. 15.*

CXXV.

Quando autem reſtituitur, reſtituenda eſt cum acceſsionibus & fructibus. *l. 5. §. 9. h. t. l. 38. §. 10. de uſur.*

CXXVI.

Eſt enim hæc actio bonæ fidei, quæ perſequitur id, quicquid alter alteri ex æquô & bonô præſtare debet. §. *28. I. de act.*

CXXVII.

Et per conſequens ad repetendum acceſſorium non opus eſt aliâ aliquâ actione.

CXXVIII.

Quod ſi commodatarius tam contumax eſt, ut reſtituere rem nolit, poteſt ab Actore in litem etiam ex affectione jurari. *l. 2. §. 1. l. 8. de in lit. jur.*

CXXIX.

Si res commodata deterior facta eſt, deterioratio illa eſt vel gravior, vel levior.

CXXX.

Si gravior & talis, quæ uſum rei impediat, æſtimatio potius præſtanda eſt.

CXXXI.

Si levior, reſtituenda eſt res, ſed ita, ut ſimul quod intereſt præſtetur.

C Si pror-

CXXXII.

Si prorſus periit, periit aut caſu fortuitó, aut culpâ commodatarii, aut dolô ejusdem.

CXXXIII.

Si dolô Commodatarii, conceditur commodanti juramentum in litem affectionis. *l. 2. §. 1. de in lit. jur.*

CXXXIV.

Si culpâ, tum intereſt, an perierit ante litem conteſtatam, an poſt eam.

CXXXV.

Si ante litem conteſtatam periit, locum habet juramentum in litem veritatis, *arg. l. 5. §. 4. de in lit. jur.*

CXXXVI.

Si poſt litem conteſtatam, præſtanda eſt æſtimatio. *l. 17. §. f. h. t.*

CXXXVII.

Et ea facienda eſt â judice.

CXXXVIII.

Ita ſcilicet ut rei judicandæ tempus, quanti res ſit, obſervetur. *l. 3. §. 2. h. t.*

CXXXIX.

Si nulla culpa interceſſit, non tenetur commodatarius, *l. 10. pr. l. f. ff. h. t.*

CXL.

Multô minus ſi res perierit caſu fortuitô. *l. 18. pr. h. t.*

CXLI.

Datur Actio directa etiam adverſus hæredes.

Et qui-

CXLII.

Et quidem ſi plures fuerint, pro portione hæreditariâ. *l.3. §.3. ff. h. t.*

CXLIII.

Niſi unus habeat facultatem totius rei reſtituendæ. *ibid.*

CXLIV.

Aut ex ſuô factô conveniatur. *l.17. §. 2. h.t.*

CXLV.

Si pluribus res commodata fuerit, pro ratâ illi tenentur. *l. 21. §. f. ff. h. t.*

CXLVI.

Niſi ſingulorum fidem in ſolidum ſecutus fuerit commodator. *l.5. §. f. h. t.*

CXLVII.

Sequitur de actione CONTRARIA, quæ datur commodatario.

CXLVIII.

Vel quando uſus rei à commodante interverſus, aut intempeſtivè revocatus eſt. *l.17. §.3. h.t.*

CXLIX.

Vel quando non commodatur res, quæ debuit commodari, ut ſi vitioſa fuerit, & uſum minus præbeat congruum. *l. 17. §.3. l. 18. §. 3. l. 22. h.t.*

CL.

Vel quando commodans cum commodatarii damnô in lucrô ex re commodatâ verſatur, vel quando poſt acceptum pretium, rem quoque ipſam recipit. *l. 17. §.5. & l. 21. h. t.*

Quô ta-

CLI.

Quò tamen caſu commodatario datur etiam rei vindicatio, ſed quæ commodanti non relinquit integrum, an rem, an pretium reſtituere velit. *l. 63. de R. V.*

CLII.

Quod tamen facit Actio commodati contraria. *l. 17. §. f. h. t.*

CLIII.

Vel tandem quando impenſæ in rem commodatam factæ ſunt neceſſariæ. *l. 18. §. 2. h. t.*

CLIV.

Quibus tamen connumeranda non ſunt cibaria, & modica alia impendia. *l. 18. §. 2. ff. h. t.*

DEO SIT GLORIA!

TANTUM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE